

sunt; unum, ut ratio per se sola moveat sufficienter et efficaciter ad legem condendam; aliud, ut sit veluti finis unicus integre intentus per legem. Ratio prioris partis est, quia si illa ratio per se spectata et sola non moveat, sed conjuncta cum aliis; ergo licet in aliis casibus inveniatur, non potest ex illa inferri fuisse comprehensos sub mente legislatoris, quia potuit non moveri ad illos, ex defectu aliarum rationum vel circumstantiarum. Ratio vero alterius partis est, quia si ratio non sit integre et adæquate intenta, non oportet ut comprehendat omnia quæ illam participare possunt. At vero quando sic est adæquata et integre intenta, oportet salvari integre, et ideo ex vi illius fit omnis ampliatio quæ necessaria est ad vitandam omnem fraudem et circumventionem legis. Et ita procedunt vulgaria jura in hac materia, leg. *Adigere*, § *Si patronis*, juncto § *Si verò*, ff. de Jure patronat., et optime in leg. *Cum pater*, § *Dulcissimis*, ff. de Legat. 2, et alia in quibus ex ratione extenditur lex ad eos casus in quibus fieret fraus legi, nisi lex ita ampliaretur.

20. *Ratio legis debet esse intrinseca ad omnes casus ad quos extenditur.*—Addo vero ulterius, ut regula data procedat, necessarium esse rationem legis esse adeo intrinsecam et universalem ad casus omnes qui ex vi illius in lege comprehendi dicuntur, ut in ea habeant connexionem necessariam in ordine ad justitiam et prudentiam legis, id est, ut sit contra rectam rationem vel contra prudentiam in quibusdam casibus ob talem rationem disponere, et non in omnibus eadem rationem æque participantibus. Nam si talis non sit ratio, non potest sola illa cogere ad talem extensionem faciendam, nisi aliunde sumatur ex verbis ejusdem legis vel ex aliis juribus. Probatur ratione sæpe facta, quia lex pendet ex voluntate, voluntas autem pro sua libertate potest unum velle et non aliud, etiamsi in utroque sit eadem ratio volendi. Et quando non intercedit dicta connexio, poterit etiam id fieri sine injustitia, vel etiam sine imprudentia, quia forte non expedit vel non oportet omnia velle, seu de omnibus similibus æque disponere, et quando non est disparitas inter illos, libera est electio, etiam secundum prudentiam; vel certe licet in propria ratione legis sit æqualitas, ex aliis circumstantiis potest in aliqua materia magis movere.

21. Exemplum sumi potest ex cap. 1 de Tempor. ordin., 6, ubi prius ponitur ratio generalis vitandi periculum imminens quod in-

digni ordinentur si extra patriam in locis remotis ad ordines admittantur, et nihilominus postea non fit prohibitio generalis, sed per illa verba: *Ut nullus Episcoporum Italici, etc.*, ubi Glossa quærit an extendatur prohibitio ad Episcopos Germaniæ quoad Italos ibi peregrinantes; et prius dubitat propter rationis identitatem, tandem vero ait non esse admittendam extensionem. Quod mihi certe verissimum semper visum est; tum quia non frustra Pontifex in specie locutus est de Episcopis Italiæ, et de clericis ultramontanis qui ab eis ordinantur sine litteris dimissoriis, et de illis tantum loquitur applicando ad illos specialiter rationem generalem, quod facere potuit, vel quia magis in ea provincia periculum imminabat, quia frequentius ad illam confluent ultramontani quam e converso Itali ultramontes, vel quia facilius poterat ultramontanus habere remedium in Italia existens, quam e contrario, ut ibi Glossa notavit. Et ita licet ratio sit eadem, tamen applicatio non est eadem, et potuit prudenter ad unam materiam fieri, et non ad aliam. Et ideo illa ratio, ut generalis, non fuit adæquata illius legis, sed illa secundum specialem gradum et modum periculi in tali regione imminens. Quæ doctrina potest facile ad alia exempla applicari; nam in præceptis Ecclesiæ possunt multa inveniri similia.

22. At vero quando ratio legis est talis ut in ea habeant connexionem, tam quæ in lege exprimuntur quam quæ videntur omissa, tunc recte ex vi rationis intelliguntur omnia comprehensa, ut probat optime exemplum adductum ex l. *Cum mulier*, et similia. Et ratio est, quia lex præsumitur esse justa et prudenter ac debito modo a legislatore lata; non esset autem talis nisi esset adæquata rationi suæ. Inde vero fit, quod sæpe judicavimus, hunc modum extensionis legis ex vi rationis semper fieri, aut mediante ampliacione et extensione verborum in aliqua significatione saltem minus propria, aut ad vitandam absurditatem aliquam vel injustitiam legis, ut sufficienter patet ex discursu et exemplis adductis. Et specialiter declarari potest, quia ex vi rationis non potest fieri extensio comprehensiva nisi sufficienter per illam indicetur voluntas legislatoris, quia voluntas mente retenta et non manifestata non obligat; ergo vel manifestatur per verba quia ratio cogit ut sic illam interpretemur, vel, si omnino desunt verba, quia eadem ratio cogit ut ea suppleamus, vel alio modo ad talem sensum illa accommodemus. Hoc autem

nunquam licere potest, nisi quando id necessarium est ad vitandum aliquod absurdum in lege, cujus optimum exemplum est in dicto § *Aliud*.

23. *Refellitur regula Panormit.*—Quapropter non probo regulam datam a Panorm. in cap. *Quia in insulis*, de Regul., n. 3, quod legis dispositio ampliari debet vel restringi ad limites rationis expressæ, etiamsi verba non patiantur, nec sit alia necessitas præter applicationem ejusdem rationis. Unde infert textum illum, licet expresse loquatur de monasteriis insularum, quia pro ratione reddit quod *ibi est dura congregatio*, extendi ad omnem duram religionem ubicumque existentem. Quod profecto mihi incredibile est, quia illo modo infinita esset extensio in legibus facienda, et quia regula illa nulla ratione nititur, ut ostendi, et quia in illo particulari exemplo Pontifex non consideravit quamcumque asperitatem religionis, sed illam quæ ex tali situ loci nascitur, et illa est propria et (ut ita dicam) identica ratio legis; durities vero aliunde proveniens alterius est considerationis. Unde magis est ibi similitudo rationis quam identitas, et procedunt omnia dicta in priori puncto. Nec jura quæ Panormit. allegat illi quidquam favent; nam fere omnia in discursu capituli longe aliter explicata sunt, et l. *Pater*, § *Fundum*, ff. de Leg. 3, quam etiam adducit, potius probat oppositum; nam quia testator expresse dixit: *Quoad viærit*, non extenditur dispositio ad successores hæredis, etiamsi ratio sumpta unde id postulare videretur, ut Glossa etiam advertit.

CAPUT IV.

EXPEDIUNTUR NONNULLA DUBIA CIRCA EXTENSIONEM LEGIS OB IDENTITATEM RATIONIS, VEL ALIIS MODIS.

1. Circa superiorem doctrinam nonnulla dubia supersunt, quæ breviter expedienda sunt. Primum est in quibus legibus locum habeat prædicta extensio; multi enim doctores dicunt hanc extensionem per identitatem rationis habere locum in lege favorabili, et maxime si cedat in salutem animæ. Quod tradit Panormitan. in cap. *Ex tenore*, Qui filii sint legit., et ibi Joan. Andr., Host. et omnes. Item Felin. et alii in cap. *Translato*, de Constitut., et in capit. ultim. de præscript.; Bartol. Authent. *Sacramenta puberum*, cod. Si advers. vendit., ubi in scholio multi alii referuntur, et alios refert Covar. in 4, 2 p., c. 6, n. 12;

Flami., de Resignat. beneficior., lib. 11, q. 2, n. 17. Potest vero hoc intelligi, vel quando extensio fit ex vi solius rationis propter necessariam connexionem aliorum casuum cum illa, seu propter injustitiam aliquam, vel absurditatem legis vitandam, vel quando fit non ex necessitate, sed ex congruitate, quia verba facile illam extensionem complectuntur. In priori sensu non est illud proprium legis favorabilis, sed amplius extenditur, ut jam dicam. Unde non est exclusive id accipiendum, sed tanquam magis certum et facilius admittendum; idemque dicendum erit de lege favorabili animæ comparata ad alias favorabiles. In posteriori autem sensu est hoc proprium legis favorabilis, quia generatim et quasi per antonomasiam convenit ei quæ animæ favorem continet. Est autem intelligendum de extensione intra aliquam proprietatem verborum, ut jam declaratum est.

2. *Extensio comprehensiva ob rationis identitatem etiam ad legem pœnalem extenditur.*—*Limitatur regula.*—Unde infero eo modo quo lex recipit extensionem comprehensivam ex sola identitate rationis, non solum habere locum in lege favorabili aut non pœnali, sed etiam in pœnali. Ita docent plures ex citatis auctoribus, præsertim Sylv. et Angel., Imol. et Gemin. in dicto cap. de Tempor. ordin., in 6, et in dicto cap. *Si postquam*; Panormit. frequenter, cap. ult. de Rescript. n. 10 et 11, et in cap. *Nihil*, de Election., n. 9, ubi etiam de correctoriis loquitur, et in Clem. 1, de Rescript., n. 2, et in Clement. 1, de Elect. n. 8, quibus locis varia in utramque partem adducit; ipse autem non solum est constans in illa sententia, sed etiam valde illam extendit. Idem tenet alios referens Rochus Curt. de Cons., sect. 4, num. 23. Item Navarrus in capite *Pœnæ*, de Pœnitentia disp. 4, ubi pluribus modis hoc extendit. Item Covarrus in capite *Alma*, 2 p., § 4, num. 7; Anton. Gom., 4 Variar., cap. 5, n. 1, et cap. 11, n. 22; Gutier., lib. 1 Canonic. quæst., cap. 10, n. 13. Debet autem hoc intelligi non de extensione solius pœnæ, hæc enim nunquam fieri potest, ut dixi, nec in illa potest inveniri identitas rationis, cum magis pendeat ex voluntate quoad determinationem seu qualitatem pœnæ. Nec etiam debet intelligi de extensione quoad solam obligationem præcepti (ut aliqui ex dictis auctoribus sentire videntur), quia, si obligatio extenditur, consequenter extendetur pœna, quia absolute ponitur contra legis transgressores, et quia est accessorium quod sequitur suum principale,

nisi ipsa lege expresse restringatur ad certum peccandi modum. Tunc enim ex defectu illius poterit non incurri pœna, ut in materia de Censuris sæpe dictum est. Et ideo cum proportione intelligitur assertio de tota lege etiam pœnali. Præterea debet intelligi quando talis comprehensio ex vi rationis necessaria est ut vere et integre impleatur ratio legis, vel ut sit justa et rationabilis, ut explicatum est, tunc enim est evidens necessitas, quia non minus efficax et justa ac rationabilis debet esse lex pœnalis quam quælibet alia.

3. *Objectio refellitur.*—*Extensio comprehensiva duplex.*—*Vera interpretatio regularum de pœnis.*—Et hinc facile solvuntur contraria quæ obijci possunt ex illis regulis, quod pœnæ sunt restringendæ, et leniendæ, et benigne interpretandæ. Hæc enim omnia de extensiva interpretatione intelligi possunt, ut Gemin., Imol., Sylvest. et alii volunt. Sed non placet expositio, quia etiam in non pœnalibus illa interpretatio locum non habet, saltem quoad propriam legis obligationem de qua nos præcipue tractamus. Dico ergo extensionem comprehensivam duplicem distingui, unam necessitatis, aliam congruitatis; sicut enim præsumptio duplex distinguitur a juristis, una necessaria, alia probabilis, seu voluntatis; ita etiam extensio comprehensiva ex vi rationis duplex esse potest, una omnino necessaria ad justitiam vel rectitudinem, et in gratiam observantium leges; alia non necessaria, seu voluntaria, quia, licet in uno sensu possit lex multa comprehendere juste et sine inconveniente, alia minor comprehensio sufficit ad justitiam legis et proprietatem verborum cum ratione etiam legis servandam. Dico ergo generales illas regulas de non ampliandis legibus pœnalibus intelligi de interpretatione (ut ita dicam) voluntaria, id est, sine qua potest conservari prudens dispositio et justitia legis, quia infra hanc latitudinem benigne semper est interpretanda lex pœnalis. Quando vero extensio est necessaria ad justitiam legis, secus est, et ita intelligenda est Glossa in Clementin. 2, de Ætat. et qualitat., verb. *In his*, ideoque merito dicunt multi ex dictis auctoribus hanc comprehensivam non esse propriam extensionem, sed adæquatam legis interpretationem, quæ in pœnalibus etiam servanda est. Propter quod etiam supra dicebamus per se loquendo debere pœnalem legem ampliari ad omnia comprehensa sub aliqua propria significatione verborum, licet amplectenda sit minus ampla, dummodo propria sit.

4. *Quid in lege correctoria dicendum.*—Atque ex prædicto fundamento sequitur idem esse dicendum etiam in lege correctoria, ut aperte dicunt Panormitan., Rochus, et alii supra allegati, et Tiraq. cum multis dicto § *Libertis*, n. 45, et sumitur ex Gloss. in Clem. 1, de Elect., verb. *Eligatur*. Imo idem sequitur etiamsi simul pœnalis sive odiosa et correctoria sit, ut ex eisdem sumitur, et ex aliis quos refert Matienz. lib. 5 Recopil., tit. 11, lib. 19, Gloss. 2, n. 5; Gutier., de Juram., 3 p., c. 2, n. 8. Et de lege exorbitante generaliter idem tradit Bart. in leg. *Si constante*, ff. Solut. matrimon., n. 44; Jason., n. 73; Menoch., lib. 4, præsumpt. 89, n. 37; Tiraq. in dicta leg. *Si unquam*, § *Libertis*, n. 44 et 61; denique in quacumque lege, quantumvis gravis cogitetur, dummodo æquitatem legis retineat, ratio facta procedit, recte applicata et explicata rationis identitate, eritque semper multo facilius extensio si verba in aliqua significatione, licet latissima, possint casum comprehendere, ut per varia exempla exponit Roch. dict. sect. 4, n. 12.

5. *Quorumdam limitatio.*—Quidam autem hoc limitare videntur dum dicunt hanc extensionem in pœnalibus, correctoriis et exorbitantibus habere locum, quando alioqui sunt favorabiles, ut dicit Tiraq. supra dicto n. 61, vel quando sunt propter utilitatem animæ, ut ait Felin. in c. *Translato*, n. 13 de Constit., vel in favorem Ecclesiæ, ut dixit Glossa in c. *Sciant cuncti*, de Elect. in 6; vel in favorem boni publici, ut ait idem Felin. infra, n. 14; et Navar. in dicto cap. *Pœnæ*, et sentiunt alii quos refert Rochus dicta sect. 4, n. 20. Hæc vero et similia vel dicta sunt de extensione non necessaria, vel non exclusive seu restrictive intelligenda sunt, sed quasi per antonomasiam et ob majorem certitudinem, sicut in simili paulo ante explicavi. Nam si extensio est comprehensiva et necessaria ad justitiam et plenam observantiam legis juxta vim rationis ejus, tunc generaliter servanda est regula in quacumque lege quomodocumque exorbitante, dummodo vera lex sit; si vera ratio non cogat similiter ad talem extensionem tantamque comprehensionem, tunc, licet in aliis pœnalibus vitanda sit extensio, in his privilegiatis (ut ita dicam) admitti potest et interdum debet, quia (ut supra dixi), licet lex pœnalis sit vel odiosa ex uno capite, potest ex alio tantum continere favorem, tantique momenti, ut in ea servanda sint principia legis favorabilis potius quam odiosæ. Et juxta hæc possunt non diffi-

cile varia dicta doctorum conciliari, quæ in specie verborum non solum diversa, sed etiam contraria sæpe videbuntur, non tamen sunt, quia de diversa extensione et de diversa rationis unitate, seu similitudine aut identitate loquuntur, licet hæc omnia pauci distinguant.

6. *Ratio subintellecta quem effectum habet.*—Quærunto vero dicti auctores an hæc intelligenda sint tantum de ratione expressa in lege vel etiam de non expressa, sed ab interpretibus excogitata. Sæpe enim auctores videntur doctrinam datam restringere ad rationem in lege expressam. Ita Panorm. in cap. 1 de Jurament. calum., n. 8, et in c. *Nihil*, de Elect., n. 9, et idem sentit Bart. in dicta Authent. *Quas actiones*, et alii ibi, præsertim ubi extensio fit in materia non favorabili, ut pœnali vel correctoria. Et ad hoc induci potest lex *Pater*, § *Julius*, ff. de Legat. 3, ibi: *Cum hoc nudum præceptum esset*, et indicat ibi Gloss.; nihilominus contrarium docent multi, videlicet, sufficere rationem subintellectam, licet expressa non sit, dummodo satis certo constet illam et non aliam potuisse esse rationem legis. Ita sentit Bart. in l. *Item queritur*, § *Qui impleto*, ff. Locati., n. 10; et Bald. in l. *Maximum*, c. de Lib. præter., n. 4; et Cyn. in l. *Non dubium*, c. de leg., et Panor. in Clemen. 1 de Rescriptis, cum Glossa ibi; idem in c. fin. de Rescript.; Felin. in c. *Translato*, de Const. ultimo notab.; Angel., Verb. *Lex*, n. 8; Sylv., q. 18; Anton. Gom., variar. c. 11, n. 12. Fundamentum est, quia potest sufficienter constare de ratione legis, etiamsi scripta non sit; ergo idem operabitur. Probatur consequentia, quia non habet dictum effectum, quia scripta est, sed quia in se talis est. Nihilominus tamen, quia, quando est scripta, pars est legis, et de illa certissime constat, et per contextum constare etiam potest quomodo determinet alia verba legis, ideo regulariter vix habet locum cum obligatione hæc extensio ex vi rationis, nisi scripta sit. Quando vero non est scripta, juxta legis qualitatem et materiam poterit extensio fieri cum majori vel minori certitudine præsumptionis, et interdum poterit esse tam evidens vel communiter recepta, ut ad obligationem legis sufficiat.

7. *Ad supradictos modos extensionis omnes alii modi reducuntur.*—Ulterius inquiri potest an præter dictos modos extensionis legis alii dari possint; solent enim recenseri alii peculiare modi extendendi leges, etiam pœnales et onerosas, qui attinguntur a Navar., in d. c. *Pœnæ*, ex Franc. et Dominic., in c. 1 de Tempor. ordin. Sed si recte spectentur, omnes ad superiores

reducuntur, et juxta illos intelligi debent ut veri sint; quod breviter declaro attingendo præcipuos. Unus est ut fiat extensio legis ad correlativa ex Glossa, Bart. et Bald. quos ibi citat Nav. supra, et idem dicit in Sum., c. 22, n. 72; et Rochus dicta sect. 4, n. 13 et 16, et Ripa in l. *Ait prætor*, § *Si judex*, ff. de Re judic., ubi alii. Intelligendum autem hoc est imprimis de correlativis, ut talia sunt, ut maritus et uxor, pater et filius, mensura et mensuratum, ut se respiciunt: nam si materialiter spectentur non habent connexionem. Deinde necessarium est ut eadem ratio in eis vigeat, ita ut non possit in uno procedere nisi attingat aliud, vel certe ut ratio justitiæ postulet ut dispositum de uno habeat locum in alio; alioqui relatio parum refert ad extensionem. Exempla varia in dictis auctoribus videri possunt.

8. Alius modus extensionis est per radicacionem plurium casuum in eodem principio seu radice; nam una etiam lege prohibentur, juxta illud Justiniani imperatoris in l. ult., cap. de Nuptiis: *Cum ex una radice vitium nascitur, consequens est ut eadem lege tollatur*. Qui modus etiam debet intelligi quando ratio et radix prohibitionis una et eadem est in utroque casu, ut exposuit Glossa in c. *Fraternitatis*, de Testib., verb. *Novis*. Item explicandus est de identitate rationis eo modo quo illam declaravimus. Erit autem res evidenter, si radix ipsa sit materia legis: nam si lex excludat radicem, quidquid ex ea oritur, videtur exclusum, ut dixit Bald. in dicta l. *Maximum*, c. de Lib. præter., n. 4. Similis modus extensionis est inter ea quæ se consequuntur seu connexa sunt, quem modum posuit Anton. de Butr. in c. ult. de Consuet., limitat. 4, et late Rochus ibi sect. 4, n. 16, et attingit Nav. dicto c. *Pœnæ*, n. 11 et 12 ex Glossis quas allegat. Et varia exempla adducunt quæ majori indigebant examine, sed non possumus ad singula descendere. Existimo igitur, secundum eadem principia posita, esse de extensione judicandum, scilicet, ut connexio tanta sit ut non possit, verbi gratia, unum prudenter vel juste prohiberi quin prohibeatur aliud, sicut de correlativis dictum est. Contingere etiam poterit ut unum sub alio contineatur, tanquam imperfectum sub perfecto ejusdem rationis, ut affinitas sub consanguinitate, vel tanquam pars sub toto, vel commutatio sub dispensatione, et tunc procedit regula a minori, non e contrario; et sic intelligit Panorm. in cap. *Dilecti filii*, de Arb., n. 4 et 5, et colligitur ex illo textu. Item

potest fieri ut ratione connexionis unum comprehendere censeatur sub alio secundum communem usum, et tunc non fiet extensio ex vi solius rationis, sed etiam propter significationem verborum, in qua plurimum valet communis usus, ut late Fel. in Procem. Decret., n. 3 et sequentibus.

9. *Alius modus quomodo intelligendus.* — Alius præterea modus extensionis est per æquiparationem casuum per aliam legem prius factam; nam tunc dispositum in uno per aliam legem consequenter censeatur dispositum in alia, juxta Glossam et doctores in l. *Si quis servo*, c. de Furtis, et Bart. et alios in l. *Ut tantum*, ff. de Serv. corr., et notat Abb. alia referens in cap. *De multa*, de Præben., n. 48; Roch., dicta sect. 4, n. 14; Jas. in l. *Transigere*, c. de Trans.; Nav., dict. c. *Pœnæ*, n. 14, et idem fere n. 15. Hic vero modus extensionis si in sola ratione legis fundetur, juxta prædicta moderandus est; si autem fundatur in dispositione alterius legis, tunc ponderanda sunt verba legis facientis æquiparationem, et in eo servanda est regula in quo facta est æquiparatio, et non ultra, ut attingit Sylv. verbo *Pœnæ*, quæst. 4, et ibi Ang., et latius Crotus in l. *Si constante*, 2 lect., ff. Solut. matrim., et Bern. Diaz, reg. 429. Et tunc proprie non fit extensio in eadem lege, sed una extendit effectum alterius, et ideo solet hæc extensio vocari a juristis passiva et non activa, ut videre licet in Bart. supra, et Rocho., n. 9.

10. *Identitas ex motivo colligenda.* — Alius item modus addi potest, quando lex loquitur in determinato casu gratia exempli; nam tunc extendenda est ad casus similes. Quem modum ponunt Sylvest. verbo *Lex*, quæst. 20, verbo *Quarto*, et Ang. ibi, n. 7. Sed hic etiam modus locum habet juxta distinctionem datam de identitate vel similitudine rationis; nam sola similitudo, nisi sit etiam in identitate specifica, non sufficit; cum hac vero identitate sufficit, ut patet ex multis decisionibus canonum, et in legibus quæ ferri possunt per sententiam principis in particulari casu, ut supra dictum est, et nihilominus intelliguntur esse generales leges. Identitas autem illa optime explicatur per motivum et rationem virtutis sub qua talis actus prohibetur vel præcipitur; nam si fuerit lex lata in tali casu intuitu religionis observandæ, vel sacrilegii vitandi, ubi in simili casu eadem specifica ratio religionis vel sacrilegii intervenerit, lex extendetur, et idem est de ratione justitiæ. Et hoc declaratur bene ex l. 1, ff. Uti poss., juncto § *Nam interdictum prætoris*;

loquens de possessione domus, extenditur ad possidentem agrum, vel quamcumque rem similem, quia nimirum eadem est ratio justitiæ in illis omnibus cujus intuitu interdictum latum est. Et ita ex materia, vel ex ratione legis, vel ex alia lege, vel ex naturali ratione, non erit difficile intelligere quando lex loquatur in particulari casu gratia exempli, vel per aliam occasionem. Et sic etiam procedit alia frequens regula quod lex loquens in speciali casu, quia frequentius accidit, extenditur etiam ad similes, licet rariores sint, dummodo ejusdem rationis sint, in ratione virtutis aut vitii, ad quam respexit lex. Quod notavit Glos. in l. 1, c. de His qui ad Eccles., verbo *Judæi*, et in unic. c. de Rapt. virg., verb. *Sponsam*. Idem Rebuff. in tract. Nomin., quæst. 5, n. 25; Ugol., de Excom., tab. 2, cap. 23, § 6, n. 6. Et eadem regula usus sum in 5 tomo, disp. 15, sect. 4, circa fin., explicando c. *Quoniam multos*, 11, quæst. 3. Omnia vero fundantur in identitate rationis, quæ attente et secundum omnes circumstantias positas spectanda est, ut explicavi.

11. Ultimo inquiri potest an hujusmodi extensio locum habeat non solum in casibus seu actionibus, sed etiam in personis, locis ac temporibus, etc. Ad quod potest generaliter responderi affirmando, si ratio aut verba legis, servata proportionem, talem extensionem vel ampliacionem requirant. Addo tamen proprie et immediate hanc extensionem fieri ad casus seu actiones, quia illæ sunt proxima materia legum, et ideo de his præsertim locuti sumus, consequenter vero etiam fieri ad pœnas, quatenus fieri potest ad maleficia seu delicta. Addo etiam propriissime fieri ad personas, tum quia etiam lex loquitur ad personas et illas obligat; tum etiam quia actiones per respectum ad personam variari possunt. Et ideo etiam de hac ampliacione legis frequentissime loquuntur auctores, et varia ejus exempla videri possunt in Rocho, supra dict. sect. 4, n. 12; Tiraq. in dicto § *Libertis*, n. 28 et sequent.; Anton., Gabr., l. 6, t. de Verbor. signific., fere per totum.

12. Ad loca vero potest quidem fieri extensio intra latam vocis significationem, quando saltem sub illa potest nomen loci in lege positum extendi ad alia loca, vel quia nomen est ambiguum et ex frequentiori usu, vel ex materia aut ratione legis determinatur, vel quia per connexionem unus locus sub alio continetur, ut suburbia nomine populi, vel populi subjecti sub nomine civitatis, juxta l. *Qui ex vico*, ff. ad Municip., et quæ insimul docent

CAPUT V.

QUANDO ET QUOMODO POSSIT LEX PER INTERPRETATIONEM RESTRINGI.

1. *Restrictio quomodo accipienda.*—*Restrictio quo tendit.*—Materia hujus capituli eadem fere est quæ præcedentis; nam cum restrictio opponatur extensioni, eandem fere doctrinam cum proportionem admittit; sic enim oppositorum eadem solet esse ratio; nam quot modis unum dicitur, tot dicitur reliquum. Quia vero materia solet esse obscura et perplexa, ideo aliqua in particulari dicere necessarium visum est. Restrictio ergo, sicut extensio, accipi solet vel per comparisonem ad verba, juxta varias eorum significationes supra positas, scilicet, aut propriam naturalem, aut propriam civilem, aut impropiam, vel per comparisonem ad rationem legis: per comparisonem autem ad mentem non potest dari restrictio, nimirum, quæ aliquid eximat ab obligatione legis quod fuerit comprehensum sub mente legislatoris; id enim repugnantiam involvit, stando in vi interpretationis, nisi intercedat dispensatio, quæ superiorem potestatem requirit, ut infra dicitur. Nam mens legislatoris seu voluntas est ipsa lex, seu unde habet lex vim obligandi: ergo impossibile est per interpretationem aliquid eximere a lege quod non eximatur a mente legislatoris. Igitur omnis restrictio legis eo tendit ut mentem ipsam legislatoris ad pauciora coarctet, quam verba vel ratio legis præ se ferre videantur. Ad majorem autem claritatem distinguere possumus, aliud esse non extendere legem, aliud restringere illam; nam inter extensionem et restrictionem potest medium intelligi, per adæquationem ad verba secundum eorum proprietatem et rationem. Hæc autem non potest habere locum ubi et verba legis non possunt nisi unam propriam significationem habere, naturalem vel civilem; nam si utramque habeant, eo ipso quod secundum alteram tantum intelliguntur est restrictio, et si ad utramque ampliatur est extensio, et ideo rara est hæc adæquata interpretatio sine restrictione vel ampliacione, ideoque nihil de illa specialiter dicere oportet, quia in capitibus præcedentibus, explicando quo modo liceat extendere leges, simul declaravimus intra quos terminos contineri debeat quælibet extensio, et consequenter declaravi quæ extensio seu ampliatio non liceat.

2. *Aliquando non licet legem restringere.*—

Bart. in l. 2, c. Quæ sit long. consuet., q. 37; Roch., dict. sect. 4, n. 17; seclusis autem omnino verbis, aut nunquam aut rarissime potest fieri talis extensio. Et ratio in generali reddi potest, quia si locus sit extra territorium legislatoris, clarum est non posse ad illum fieri extensionem legis quoad obligationem ejus, juxta regulam cap. 2 de Constit., in 6; sed ad summum per imitationem poterit ad unum locum applicari lex alterius, per modum exempli vel auctoritatis. Si autem extensio fiat ad alium locum contentum in territorio, non vero comprehensum ullo modo sub loco pro quo legislator expresse voluit legem ferre, non poterit esse extensio comprehensiva, cum intentio legislatoris satis limitetur per definitum loci expressionem, ut supra attigi cap. 4 de Tempor. ordin., in 6; nam ratio ibi adducta videtur generaliter procedere, moraliter loquendo.

13. At vero extensio legis ad tempus fieri non potest nisi ad præteritum vel futurum; nam de præsentibus semper lex loquitur, ut constat, et non sunt plures temporis differentie. De extensione autem ad præteritum dictum est l. 3, c. 14, tractando quomodo lex feratur circa præterita, declarando, non disponendo, et ideo talis extensio recte fit per vim rationis in lege expresse, quando ex illa colligi potest legem esse declarativam et non tantum constitutivam: idemque erit quoties ex quolibet alio verbo vel ex materia id constare potuerit, nec aliter fit illa extensio. Respectu autem futuri temporis non est vera extensio; nam hæc est propria legis natura ut ad futura feratur, juxta l. *Leges et constitutiones*, c. de Legib., et ideo potius regula erit legem de se comprehendere futurum tempus nisi restringatur, quia lex semper loquitur; et ideo, licet de præsentibus loquatur, semper in quolibet futuro tempore, quando est præsens, idem disponit. Addit vero Panor. in cap. 2 de Const., n. 2, quod si lex remittat delictum, tunc non extenditur ad futura, ne det materiam delinquendi. Plus vero dicitur in l. *Cum lex*, ff. de Legib., videlicet, *cum lex in præteritum quid indulget, in futurum vetare*, utique ex mente legis; et ita ibi fit quædam extensio ad futura, quia indulgendo præterita supponit illa esse mala vel prohibita, quam prohibitionem non revocat indulgendo præterita, sed potius tacite confirmat.